

# AUGUSTUS

Die 23 augusti

**S. Philippi Benizi, presbyteri**

Ant. ad introitum

Is 42, 1

Ecce servus meus, suscipiam eum;  
ellectus meus, complacet sibi in illo anima mea:  
dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet.

Collecta

Deus, humilium celsitudo,  
qui per beatum Philippum viam ad te gradiendi  
in caritatis amore et fraternae concordiae ostendisti,  
concede nobis famulis tuis ut, illius imitatione,  
Filii tui regnum apostolico dilatemus ardore.  
Qui tecum vivit.

Super oblata

Adesto, Domine, familiae tuae votis,  
adesto muneribus,  
et concede propitius  
ut Ecclesia tua, beati Philippi memoriam venerando,  
iugiter et caritate crescat et pace.  
Per Christum.

Ant. ad communionem

Sir 48, 1

Surrexit quasi ignis,  
et verbum ipsius quasi facula ardebat.

Post communionem

Haec divina libatio,  
quae nos Christi effecit consortes,  
quaesumus, Domine, illum amorem in nobis accendat,  
quo flagrans beatus Philippus  
immaculatam Virginem devotissime coluit  
et Filium tuum ardentem dilexit.  
Qui vivit.

LECTIONARIUM

Lectio prior, p. 399, n. 10 a.

Psalmus responsorius, p. 372, n. 4.

Alleluia et Versus ante Evangelium, p. 422, n. 15.

Evangelium, p. 417, n. 12.

## SEPTEMBER

Die 1 septembris

**S. Teresiæ Margaritæ Redi, virginis**

Ant. ad introitum

1 Io 4, 16

Deus caritas est,  
et qui manet in caritate in Deo manet, et Deus in eo.

Collecta

Deus, qui beatæ Teresiæ Margaritæ  
de fontibus Salvatoris  
inestimabiles dedisti humilitatis  
et caritatis haurire thesauros,  
da nobis, ipsa intercedente,  
numquam a caritate Christi separari.  
Qui tecum vivit.

Super oblata

Suscipe, Domine, munera  
quæ beatam Teresiam Margaritam celebrantes exhibemus,  
et nos, per immaculatam hostiam,  
da iugiter  
in tuo conspectu pio sanctoque amore flagrare.  
Per Christum.

Ant. ad communionem

Col 3, 3-4

Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.  
Cum Christus apparuerit, vita vestra,  
tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.

Post communionem

Corporis et sanguinis Unigeniti tui sacra perceptio, Domine,  
ab omnibus nos caducis rebus avértat,  
ut exemplo beatæ Teresiæ Margaritæ valeamus  
tui et sincera in terris caritate proficere  
et perpétua in cælis visione gaudere.  
Per Christum.

LECTIONARIUM

Lectio prior, p. 207.

Psalmus responsorius, p. 389, n. 18.

Alleluia et Versus ante Evangelium, p. 422, n. 16.

Evangelium, p. 426, n. 21.